



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

65. Tres clavi dominicæ crucis, & tria ligna ejusdem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**

## SYMBOLUM 63.

Tres actus poenitentiae.

*Contritio, Confessio, Satisfactione.*

**Q**uisquis es eterni transgressus iussa Parentis,

Jam procul a Triadis limine pulsus abes.

Contrito properes & amaro corde reverti,

Criminis admissi te fateare Reum.

Facque satis-Triadi, cuius te gratia ccelis

Inseret, & lectas afferet inter oves.

**N.** Tres species poenitentiae : simulatoria & infructuosa ejus exemplum in Esau & Saul; desperata & crudelis, ut in Cain & Juda; consummata & utilis, fuit in Maria & Zachaeo. Bern. in sent.

## SYMBOLUM 64.

*Tria in omnibus Sacramentis, Materia, Forma, Minister.*

**A** Semper manante petunt bonitatis Abyssum

(a) Terna quaterna suum, sacra fluenta, caput.

Materies adsit, verborum certaque forma,

Perficit his sacrum presto minister opus.

Pro Patre materiam, pro verbis accipe Verbum,

Hos velut unito corde coronat Amor.

[a] Id est, 7. Sacra menta. Quorum Author Deus est. Humanitas Christi, est causa instrumentalis primaria, seu conjuncta, ut Theologi recant. Ministri instrumenta separata.

## SYMBOLUM 65.

Tres clavi Dominicæ Crucis. Et tria ligna ejusdem.

**E**n tribus articulis, terræ qui pondera libratur,

Confixum clavis tot Crucis arbor habet.

Viribus inferior rupit tria vincula Sampson,

At citius clavos solvere Christe vales.

A a

Fixus

**Fixus amore mei persistis, Christe, vicissim**

**Fac ut amore tui me tibi figat amor.**

N. Noster Godef. a Lit de pass. Dom. conc. 32. solidissime probat tum au-  
thoritate Patrum, tum antiquitate picturarum & traditione Ecclesiae, qua-  
tuorfuissè clavos quibus immaculata Christi vestigia (ut loquitur S. Aug.)  
Crucis confixa: & Crucem tribus constitisse lignis, uno oblongo, altero  
transverso, tertio affixo ad partem inferiorem, in quo duobus clavis sacra  
plantæ sunt terebratae.

### S Y M B O L U M 66.

Tres Modi formandæ Crucis.

*Vel integrâ manu seu quinque digitis in memoriam quinque  
vulnerum Christi. Vel tribus digitis ad significandum SSS.  
Trinitatis Mysterium. Vel uno digito tribus locis: in capite  
quo designatur Pater: ore quo Filius: pectore quo Spiritus S.  
Ioan. Bodensis Conc. 18. super 1. præcept. Decal.*

**S**i quandoque Crucem digitis formavero quinis,  
Jam memoro Domini Vulnera quinq; mei.  
Si Crucis hoc signum digitis Effinxero (a) ternis,  
Supremæ Triadis me meminisse decet.  
Debita Frons Patri; digito si finxeris uno,  
Os Verbo: sedem, Pectus, Amoris habet.

(a) Innocentius. 3. lib. 2. Myst. Miss. cap. 42.

### S Y M B O L U M 67.

*Tres pulsus campanæ ad indulgentias, ac trino tempore, mane,  
meridie, vespere.*

**S**ive diem croceis revchas elate quadrigis,  
Seu caput hesperijs Cinthie mergis aquis;

(2)

A